

Pinna dorsi argentea transplendens et maculis fulcis insignita. Pinnae laterales albae, quae in ventre caerulefcentes. Caudae quoque pinna in extremitate caerulefcit. Est edulis.

ACARAVNA, Piscis magnitudine exaequat Paru, sed non est ita latus, et squammulas habet nigricantis coloris. Cauda est bifida, pinna tres digitos longa, duos lata. Paene utramque branchiam etiam pinnam habet, inferius in antica parte duas angu-

stas. Per totum dorsum et per ventrem etiam pinnam utrobique extensam, acutam, continuam, in postica parte corporis circiter unum digitum latam. Os parvum, angustum, denticulis minutissimis. *Oculi* haud magni. In utroque latere prope caudam acutissimum habet aculeum; quos in latera potest recondere et evaginare et alios pisces laedere: quilibet aculeus fere digitum longus osse piscino constans.

Piscis est edulis.

CAPVT II.

De Guaperua, Piranema, et Acarapucu.

TAB.
XXXII. 3.
Marcgrav.
Hist. Brasil.
lib. 4. c. 2.

GVAPERVA Brasiliensibus. Piscis est corpore lato et compresso, quatuor digitos longo, tres lato, ubi latissimus. *Ore* parvulo, denticulis minimis. *Pinnas* habet sex: post quamlibet branchiam unam, parallelogrammi figura: in infimo ventre duas oblongas: in dorso et inferiore ventre extremo longam ac latam, quae in acumen desinunt, subulae figura. *Cauda* quadrata seu potius parallelogramma, unum digitum longa, duas tertias digiti lata. Tegitur squammulis coloris nigri, splendentis instar bombycini, quarum orae (non omnium sed quarundam) fimbrias flavas habent instar semilunularum. *Pinnae* sunt nigrae. Circa os linea crassa purpurei est coloris, et illi perpendiculariter altera supposita. Corpus tres lineae latae ambiunt, quarum duae per latus et posticas pinnas extenduntur. Caudam etiam talis secat linea et ejusdem coloris; una pro fimbria ipsi est, oculorum pupilla nigra, circulo aureo.

PIRANEMA, Piscis mediocris Carpionis seu Percae magnitudine; novem, decem aut undecim digitos longus; latus, ubi maxime, tres digitos aut paulo amplius. *Os* habet amplum, subrotundum, edentulum quidem, sed acutissimis prominentiis asperum: *oculos* magnos instar solidi Hollandici, pupilla crystallina, circulo aureo splendente,

qui superius ad dimidiam partem coloris est miniati. Branchias habet admodum amplas. Pone has in quolibet latere pinnae digitum quidem longae, sed haud latae, et subter has in ventre duae sibi propinquae duos digitos longae et sesquidigitum latae, triangulares, spinis suffultae. A ventris medietate ad caudae exortum usque pinna protenditur tres et semis digitum longa, unum lata, iidem spinis intertexta, quam abscondere fere potest in rima ad hoc comparata: per universum dorsum, ab occipitis fine ad exortum caudae, pinna extenditur quinque digitos longa, paulum plus digitum lata, tenui membrana constans, duabus et viginti spinis intertexta, quam erigere atque deprimere et fere abscondere potest in rima. *Cauda*, quae a corpore protenditur, sesquidigitum est longa, unum lata, pinnam habet tres et semis digitos latam, et plus quam sesquidigitum longam. Color totius piscis est argenteus laccatus lacca florentina. Squammulas habet minutulas quasi triangulares: in ventre plus albicat, seu argenteo minus laccae intermixtum cernitur.

Capitur in mari et boni est saporis, edulis.

ACARAPVCV, fluviatilis piscis, in sesquipedalem longitudinem excrefcit, ubi latissimus quatuor aut quinque digitorum. *Os* acuminatum circiter